DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

NOXIIS EX EVACVATIONVM ABVSV EFFECTIBVS,

QVAM
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
CONSENSV
IN
VNIVERSITATE LITERARIA
FRANCOFVRTANA
DOCTORIS IN VTRAQVE MEDICINA
HONORES
LEGITIME ASSECVTVRVS
A. D. XXVII. FEBRVARII MDCCCI.
PVBLICE DEFENDET

FRANCISCVS FRANKE
EX LONGONOVIA SVPERIORI IN COMITATV
GLACENSI.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

SVMME REVERENDO SPECTATISSIMO

IOANNI IOSEPHO MAENNEL

MERCATORI CELEBERRIMO

HVMANITATIS AEQVE AC
PROBITATIS LAVDE MAXIME
CONSPICVO,

FAVTORI ET PATRVELI SVO AD CINERES

VSQVE COLENDO,

VT

INNVMERORVM BENEFICIORVM

IN SE COLLATORVM

GRATAM MEMORIAM

PVBLICE RECOLAT,

SIMVLQVE

TANTI VIRI

MVNIFICENTISSIMO PATROCINIO

IMPOSTERVM QVOQVE RES SVAS

FORTVNAMQVE SVAM

DE MELIORI COMMENDET

PRIMITIAS HAS ACADEMICAS

IN

VENERATIONIS PIETATIS

OBSEQVIIQVE TESSERAM

OFFICIOSISSIME

D. D. D.

AVCTOR.

Argumentis et rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere, non euentis, iis praesertim, quibus mihi liceat non credere.

CICERO de diuinatione.

INTRODVCTIO.

Humores corporis animati in bene multis morbis multifariam et qualitate et quantitate a conditione ſanorum abludere, inter medicos omnium ſaeculorum conſtat. Sed vtrum ſtatus humorum morboſus effectum potius, an cauſam morbi ſiſtat? haec eſt quaeſtio, de cuius dignitate ne veteres quidem medici cogitarunt. Hoc etiam nemini mirum videbitur, qui nouit, quam multa illis tunc temporis ex reformata tum philoſophia

phia ſpeculatiua, tum phyſica, vitam organiſmi concernente, ſcaturientia defuerint ſubſidia. Hinc, cum in plerisque morbis ex euacuationibus humorum corruptorum ſpontaneis, aut meraci cruoris morbum aut ſublatum ex integro, aut ſaltem imminutum obſeruarint, non poterant ex effectu proſpero euacuatam materiam inſequente ad hanc vt cauſam morbi non concludere. Succeſſu temporis et illos morbos quibus cauſſa materialis aſſignari non poterat, iisdem, ac illi quibus cauſſam materialem ſubeſſe crediderunt ſymptomatibus ſtipatos, ex eadem cauſſa deriuare non dubitarunt. Haec origo pathologiae humoralis, cuius iuxta principia omnes in genere morbos ab acri ſpecifico, interdum per varia corporis organa oberrare ſolito, deriuarunt, et non niſi euacuationibus artificalibus tollendos aſſeruerunt. Quam euacuandi metho-

methodum promiſcue adhibitam paſſim quidem ſtrages in genere humano edere oportuiſſe certum eſt, interim tamen, cum ſic dictis alexipharmacis, quorum plurima ad claſſem excitantium ſpectant, ad determinandum acre ſpecificum ad cutem ſimul vſi fuerint illius aeui medici, non negandum eſt, damnum ex abuſu euacuationum, ſerius ocygus ſaepe excitantium ope reſarcitum fuiſſe. At vero, cum noſtris adhuc temporibus omnes fere morbi euacuationibus pertractantur, et noxios effectus purgantium ac venaeſectionum praepoſterarum, tum in me ipſo, tum in aliis expertus ſum, hac in diſſertatione pauca de peruerſa hac methodo adducere aniſus ſum. Quatuor capitibus hoc aſſequi tentabo, quorum primum de iis, quae humorum quantitati, iuſto maiori, nec non corruptioni eorundem fauent, aget. Secundum: humo-

rum

rum peccantium effectum iuxta pathologos enumerabit, et examini subiiciet. Tertium effectus euacuationum in genere illustrabit, vnde damna ex intempestiuo euacuationum vsu sponte elucescent. Quartum denique determinabit conditiones, sub quibus dictae euacuationes necessario adhibendae sint.

Caput

Caput I.

De iis, quae humorum quantitati iuſto maiori ac minori, nec non corruptioni eorundem fauent.

§. I.

Pathologi veteres in mutationes corporis organici ex functione vitali inducendas minus attenti, cauſſas corruptionis humorum aeque ac quantitatis iuſtum modum excedentis non niſi in ingeſtis in corpus viuens, aut externe applicatis quaeſiuere.

§. II.

Recentiores, in principii vitalis effectus inquirentes, magnam quidem mutandorum humorum eidem vim conceſſere; ſed magnam etiam, imo maiorem, cauſſis ſic dictis remotis, facultatem impertiti ſunt.

§. III.

§. III.

His pathologis humores modo (§. I-II.) memorato mutati non ſolum ipſi morbi quandoque ſunt, ſed ſaepiſſime morborum fontem maioris momenti, ac ipſam vim vitalem ſiſtunt, non niſi corrigentibus ſpecificis et euacuationibus penitus tollendorum, quin nunc illos ad cauſſam proximam, nunc ad remotas morborum referunt, vnde occaſio, effectum pro cauſſa habendi frequentiſſima.

§. IV.

Interea, dum haec in rebus pathologicis geruntur, Brvnonis theoria noua medicinae in Germania magis magisque diuulgatur, cuius fundamentum experientiis copioſiſſimis ad lectulos aegrotantium inſtitutis hucusque optime confirmatum eſt. Cum iam theoria haec nouam prorſus lucem affundat disquiſitioni noſtrae de cauſſis humorum peccantium, ad regulas ipſius reſpicere, et breuitatis cauſſa ad fundamentum theoriae incitatationis, a multis iam-

iam

iam publico traditum *a*), lectores relegare iuuabit.

Sectio I.

Hypotheses pathologorum ante BRVNONEM de causis humorum et degenerantium et copiae iustae modum excedentium.

§. V.

Celebris HVFELANDIVS, tot modis acrimonias humorum gigni posse asserit, quot nempe corpus humanum pathologice affici possit. Hoc autem triplici modo fieri affirmare fategit: 1) mechanice, 2) chemice, 3) organice. *b*)

Per acrimoniam idem auctor intelligit eam humorum conditionem, secundum quam idem humor maiore, aut aliter, ac in-

a) *Untersuchungen ueber Pathogenie von Andreas Roeschlaub. Frankf. a. M.* 1798.

b) *Ueber die Natur, Erkenntnissmittel und Heilart der Scrofelkrankheit. Jena,* 1795. *p.* 76.

indoles organi continentis exigat, modificata vi ſtimulante pollet. Hinc non dantur acrimoniae abſolute tales, ſed ſolummodo reſpectu huius vel illius organi.

His ſuppoſitis acrimoniam generari ait.

1) Ex augmento materiae ſtimulantis ingeſtae, aut exterius applicatae (alimentis et cutis reſorptione).

2) Decompoſitione interna materiarum in elementa ſua, (e. g. euolutione acidi) id quod vel ob affinitatem chemicam maiorem, vel imminutionem vis vitalis contingere poſſe aſſerit.

3) Aſſimilatione deprauata.

4) Vitio ſe- et excretionum.

Hinc duplici modo acrimonias naſci poſſe:

a) Retentione excernendorum.

b) Mutatione reactionis.

5) Vitio circulationis vel auctae vel imminutae.

§. IV.

§. VI.

Hactenus de generatione acrimoniarum iuxta citatum pathologum. Nunc, quid pathologi ante hunc de humorum quantitate auctorum, genesi sentiant, exponam. Cum vero inter recentiores aeque ac antiquiores pathologos, quoad ad plurima hanc rem concernentia conueniant, BOERHAVIVM c) omnium aliorum loco adducere iuuat. Ad caussam plethorae hic vir summus refert: „ quidquid multum laudabilis chyli et sanguinis conficit simulque horum attenuationem, consumptionem, perspirationem impedit. Quo spectat vis contractilis viscerum chylopoeorum magna vt et in corde et arteriis; simulque laxior venarum, et ceterorum vasculorum compages; cibi blandi facile in chylum resoluendi; somnus multus; animus sedatus; quies musculosa, consuetudo mittendi sanguinis, naturalis, artificialis.

Sectio

c) Aphorismi de cognoscendis et curandis hominum morbis. Lugd. Batav. 1722.

Sectio II.

Quid sentiendum sit de illis hypothesibus.

§. VII.

Quod ad hypothesin de genesi acrimoniarum attinet (§. V.) ad sequentia lector attendat velim:

1) Supra citatus auctor (§. V.) sibi ipsi contradicit, dum acrimonias humorum ex mechanicis chemicis, ac vitalibus corporum functionibus hac lege deriuanda esse ait, vt chemicas ac mechanicas vitalium imperio subiectas esse meminerimus; et tamen in enumeratione caussarum has illis reapse subiicit. Quod eo magis patebit, si caussas (§. V.) adductas speciatim examinauerimus. Nam si principium vitale actionibus chemicis et mechanicis dominatur, quaero:

a) quomodo alimenta, et per cutem resorpta, vigente adhuc eiusdem principii energia, vtut non in gradu ad sanitatem perfectam necessario constitutae, vel aliquid acrimoniae primariae retinere possint, cum tamen experientia constet, vel homines debilissimos, minus

minus facile cibum digerentes, certe non omnes de ructibus acidis etc. conqueri, quod tamen fieri necesse esset, si acrimoniae sub digestionis opere e cibis extricatae, eadem finita, separatae remanerent? Sed et in illo casu, dum ructus acidi a pastu exoriantur, an hi quid aliud indicant, quam digestionem difficilius perfici, adeoque longiore tempore indigere cibos, vt miscela elementorum hetrogeneorum absoluatur? — an sensibus nostris committi possit iudicium acrimoniarum? — an non in cibis vix acidi quid in se continentibus, parca copia ingestis, iidem interdum ructus obseruantur?

b) Quomodo assimilatio deprauata acrimoniam generare posset, cum, antequam illa accedat, iam potentias nocentes successiue vim vitalem debilitantes manifeste praecessiisse oporteat? — consequenter sola energia principii vitalis a gradu sanitati accommodato abludens et assimilationis deprauatae et humorum minus bene elaboratorum caussa sit oportet. Sed et breui ante dictum est, acrimoniae pri-

primarias e cibis ſub digeſtionis opere euolutas, peracta illa, nequaquam remanere poſſe; ergo, ſi iuxta eundem auctorem aſſimilatio deprauata cauſſam de compoſitionis permanentis, adeoque acrimoniarum ſiſtit, falſum eſt, vim vitalem praedominari prae mechanicis ac chemicis legibus; -- Si vero aſſimilatio in genere, et inde dependens conditio humorum in ſola functione vitali fundatae ſunt, actiones chemicae et mechanicae precario in auxilium vocantur, cibique minus eupepti, ſunt potentiae nocentes, quae principium vitale non eo, ac par eſt, modo afficiunt, vnde incitabilitas partsi immediate affectae primo alienationem patiatur, neceſſe eſt; et conſiſtentiam mutatam, colorem, odorem etc. humorum, a legibus mechanicis et chemicis deriuare velle, ad priſtina nos reduceret ſaecula. Eadem fere de ſe- et excretionibus dicenda ſunt.

2) Definitio acrimoniarum ab auctore citato data nimis late patet, quia hae in morbis ſolum localibus locum habent, et ad vniuerſales genuinos nequaquam referri poſſunt. Tum ſolum materia a con-

conditione fanae aberrans, nomine acrimoniae infignienda eft,

a) cum particulae mechanicae, aut producta chemica cauftica corpori in- aut externe applicata vel laefionem, vel folummodo peruerfam fecretionem notabilem producunt.

b) Cum vifcus aliquod in morbo vniuerfali grauiter affectum, vel ob vehementiam, vel durationem morbi praegreffi materiam puriformem, aut pus ipfum fundit.

3) Hallucinatur auctor nofter, dum acrimoniis in genere maiorem ftimulandi vim attribuit, fiue illas refpectu continentium, fiue abfolute confideret. Iam dictum eft iudicium fenfuum ratione acrimoniarum intutum effe. Certe in febribus (male fic dictis putridis ac biliofis) fanguis et materia biliformis tenuis, ingratiffimum odorem, nec non proprietates corrofiuas interdum fenfibus prae fe fert, cum tamen nulla inde laefio organi alicuius fequatur, et fic dicta purificantia et euacuantia, fi non funeftum reddant, faltem in longum trahunt morbum, non nifi excitantibus feliciter tollendum.

4) Re-

4) Reſorptio cutanea nullatenus locum habere poteſt, ſi acrimoniis vis ſtimulandi maior attribuitur, cum vaſorum oſtia lymphaticorum a quouis ſtimulo peregrino ſeſe contrahant neceſſe ſit. Etiamſi libenter concederemus, oſculis vaſorum dictorum quaeuis acria eſſe peruia, difficillimum tamen foret intellectu, qua ratione acria reſorpta, humoribus inquilinis remixta, indolem ſuam pertinaciter retinere poſſent. Quid quod ipſa facultas reſorbendi vim vitalem ſat vegetam ſupponit, cum contra ex huius debilitate, et inde pendente eorundem inertia vaſorum hydropes varios naſci certum ſit?

§. VIII.

Ex omnibus recenſitis facile erit euincere, enumeratas (§. V.) cauſſas nequaquam dignas eſſe, quae cauſſis veris adnumerentur, ſed ad potentias nocentes potius referri debere, quarum vnaquaeque principii vitalis energiam a iuſto moderamine declinare facit, quin haec mutatio illico aduerſa ſeſe manifeſtet valetudine, donec concurſu plurium ex eadem claſſe longiori tempore applicatarum ex mutatae notabiliter

ter incitabilitatis ſymptomatibus morbum adeſſe doceamur. Hinc ſimul patet:

1) Cauſſam degenerationis humorum in ſola deflexione principii vitalis ab accommodato ſanitati gradu energiae quaerendam eſſe.

2) Illis medicis, qui pathologiam neruorum cum illa humorum adunare ſatagunt, corruptelam humorum non ſolum nunc cauſſam proximam, nunc remotam, ſed et ipſum morbum eſſe oportere, quae confuſio originem multorum in praxi errorum ſiſtit; cum contra iuxta incitationis theoriam humores corrupti nequaquam morbi eſſe ipſi poſſint.

§. IX.

Tranſeamus iam ad BOERHAVII de plethora ſententiam examinandam. Egregius hic vir in eundem, ac illi ante BRVNONEM pathologi, ſed facilius ignoſcendum, errorem incidit, dum vim contractilem vaſorum chylopeorum, effectum vis vitalis, pro cauſſa plethorae ſumit. Reliquas cauſſas ab eo adductas ſolumodo breuiter percurrere libet:

Somnus multus, ſi modum non excedat, omnino potentia incitans plethorae eſt, ſed nimium protractus inertiam vis vitalis, et omnia illam ſequentia incommoda, puta laxitatem compagis corporeae, circulationem lentam, inertes ſe- et excretiones, ſegniorem contractionem, hinc tardiorem chyli elaborationem, adeoque et ſanguinis, flaccidas carnes muſculoſas, habitum corporis oedematoſum, producit. Idem et de quiete muſculorum dicendum venit.

Laxitas vaſorum tantum abeſt vt plethoram generet, vt potius copiam boni ſanguinis, ob imminutam vis vitae reactionem, cum ea coniunctam, imminuat. Hinc etiam per aliquod tempus quantitas iuſta boni ſanguinis cum hac laxitate forſan conſiſtere poſſet, ſerius ocyus tamen vaſa laxa eandem vt antea quantitatem non ferent humorum, ſed magis extendentur; vnde peſſimo errore morbus quicunque doloribus alicuius viſceris, iam antea prae reliquis plus minus irritabilitatis iuſtae modum excedentis ſtipatus, ex congeſtione humorum ad hoc viſcus vulgo deriuatur, venaeſectionibus topicis, vniuerſalibus auferenda, cum interim ob ſanguinis, ſtimuli maxime neceſ-

necessarii, per venaesectionem imminutionem vis vitae magis infringitur, adeoque debilitas vniuersalis, hinc et affecti visceris pro ratione detracti quantitatis stimuli augeatur necesse sit.

Consuetudo promiscue mittendi sanguinem irritabilius quidem corpus, et ad incitamenta accipienda procliuum reddit, minime vero stimulum detrahendo robur augere et plethoram inducere valet, quae quidem sententia tristi a medicis omnium saeculorum euentu venaesectiones profusas sequente refutata, vt vel verbum amplius addendo patientia lectoris abuti mihi viderer *d*).

§. X.

Corruptioni humorum ergo fauent:

1) Omnes potentiae debilitantes, vt: caloris moderati detractio, habitatio in locis depressis

---

d) *Ueber den Aderlass als Praeservativmittel, vom Doct. Carl Joseph Meyer. Wuerzburg.* 1798.

depreſſis, humidis, paludoſis, defectus alimentorum nutrientium, victus ex oleribus, acidis, vegetabilibus absque carnibus, potus aquoſi, nimia abſtinentia a ſpirituoſis, immodicae venaeſectiones et purgationes ventris ac vomitiones, quies nimia muſculorum, animi pathemata deprimentia, etc. Circa has potentias notare oportet:

Non ſingulas ſeorſim, ſed coniunctim ad ſtatum nunc dictum humorum conferre, et quidem eatenus, quatenus energiam principii vitalis, vt vnicam cauſſam omnium morborum vniuerſalium, debilitat. Hinc ex vna alteraue potentia debilitante incitantibus intercurrente, (niſi maxima vi agat, aut ſummopere neceſſaria ſubito detrâhatur, vt v. c. ſanguis etc.) certe principii vitalis energia haud notabilem illico experietur aberrationem.

2) Sed et potentiae plus incitantes eidem humorum vitio fauere poſſunt,

a) ſi aut vna alteraue earundem ex indole ſua, vt quaedam venena, aut omnes, vel ſaltem plurimae tanta cum vehementia incitabilitatem affecere, vt haec

haec inde plus minus exhausta, a stimulis solitis minus deinceps afficiatur. Huc spectat potissimum potuum abusus spirituosorum etc. Inde effectus saepe lethalis a venaesectionibus in potatoribus decrepitis, apoplexia correptis etc. explicatur.

b) Si vis quaecunque mechanica aut acrimonia chemica alicui corporis humani antea sani organo admota, laesionem, aut peruersam solummodo secretionem producit.

Eaedem potentiae et ad imminuendam humorum quantitatem conferunt, quarum aliquae *directe*, vt euacuationes alui, aut sanguinis spontaneae, artificiales: reliquae *indirecte*, in quantum vis vitalis, hinc et digestio, assimilatio per has languent. Idem et nimis incitantes faciunt.

Plethorae fauent potentiae debilitantibus oppositae, quae autem non nisi gradu ab istis differunt. Sed et harum incitantium actio, respectu ad plethoram producendam, non aliter nisi incitationem augendo explicari potest.

Ex his omnibus denique ſimul patet, humores aut qualitate aut quantitate mutatas non eſſe cauſſas morborum, ſed vt effectum principii vitalis a debita energia deflectentis, et ſimul vt potentias incitantes conſiderari oportere; adeoque quantitatem nimiam illorum eſſe *potentiam nimis*, degenerationem vero aut quantitatem iuſto minorem *minus incitantem*.

Caput II.

De attributo humoribus peccantibus in corpus humanum effectu.

Sectio I.

Pathologorum placita.

§. XI.

Humores ergo corrupti:

1) Tonum ſolidorum imminuunt, vnde laxitas fibrae ſolidae, et mala hinc oriunda,

da, vt: congeſtiones, ſtagnationes, obſtructiones, extrauaſationes, motus antiperiſtalticus etc.

2) Ob maiorem ſtimulandi vim reactionem et oſcillationem vaſorum augent, vnde ſpasmi, conuulſiones, erethismus, inflammationes etc.

3) Aequilibrium ſolida inter et fluida turbant. In humoribus ergo tenacitas, conſiſtentia, copia ita augeri poteſt, vt vaſa ſupra modum extenſa copiae mouendorum imparia elaſticitatem etc. amittant. Mitto plura, ex operibus horum pathologorum ipſis haurienda.

Attentus lector iis praemiſſis inter ſe collatis vltro perſpiciet, eosdem pathologos non ſolum ex eadem cauſſa diuerſiſſimos morbos v. g. Erethismum et tonum amiſſum, et ſic vice verſa, deriuaſſe, ſed et effectus cum cauſſis confundiſſe, quam confuſionem ſegetem eſſe morborum humoribus corruptis multo feraciorem de die in diem magis experientia confirmatur.

Sectio

Sectio II.
Quid de his sit statuendum.

§. XII.

Quotiescunque in morbis vniuersalibus humores excreti, colore, odore, copia, consistentia etc. a sanis discrepant, medici theoriae incitationis addicti, eosdem non vt morbi praesentis caussas, sed vt effectum morbi, neque vt nouam caussam praegressa vera efficaciorem, sed solummodo vt potentias nocentes, longiore in corpore humano mora opportunitati ad morbos generandae idoneas, considerant. Hinc in morbis modo dictis curandis nequaquam corrupta corrigendo, compacta mobilia reddendo, spissa resoluendo, attenuando, cruda coquendo, cocta eliminando tempus terunt, sed immediate ad potentias nocentes, quae ad vnam omnes sumptae ideam solius et verae caussae morbi sistunt, respiciendo, morbum remediis, diaeta, regimine etc. gradui caussae, in quantum fieri potest, adaptatis, adeoque inter sese consentientibus aggrediuntur; et hac ratione vitium humorum corruptorum vna cum caussa et morbo ipso, si is solummodo vniuersalis, et adhuc curabilis est, cito et ra-

dicitus

dicitus tollitur. Rem ſic habere, quotidiana teſtatur experientia.

Idem et dicendum de quantitate humorum aucta. Cum quantitas iuſta eorum vis vitalis energiam ſupponat integram, et hac aucta illam quoque augeri certum ſit, oportet viciſſim illam omnino ad potentias valde incitantes adnumerare. Hanc vero quantitatem nimis auctam non cauſſam, multo minus ipſum morbum eſſe, vel ex eo patet, quod eadem in morbis, niſi ſthenia grauior adſit, ſaepius reſtrictione dietae, vno verbo, vſu potentium incitantium limitato absque euacuationibus ad iuſtam copiam redigitur. Sed et nimius horum ſtimulus ſucceſſu temporis debilitatem indirectam relinquit.

In morbo mere locali humores corrupti omnino cauſſam ſiſtunt. Sed ſi vitio cum locali morbus vniuerſalis eſt complicatus, aut laeſio organi admodum irritabilis, ad vitam maxime neceſſarii facta eſt, cauſſae ablatio non ſufficit ad morbum tollendum, ſed inſimul incitabilitatis vniuerſalis ratio eſt habenda.

Ex dictis patet, quid de *criſibus* et *metaſtaſibus* ſit ſentiendum. Cum enim humores corrupti ex numero cauſſarum merito

ſint

ſint excludendi, hinc et in morbis vniuerſalibus indicationem ad euacuationes nullatenus praebere poſſunt. Etſi in morbis bene multis euacuantia profuiſſe non negandum eſt, tunc morbus fuit aut ſthenicus, aut localis ex repletione nimia ventriculi. In primo caſu euacuantia non euacuando, ſed debilitando egiſſe argumentis firmiſſimis conuicti credimus. Super hac re legi meretur. *e*)

Caput III.

De effectu euacuantium in genere in corpus humanum, et ſpeciatim de noxiis ex praepoſtero et immoderato eorum vſu effectibus.

§. XIII.

Effectus euacuationum in genere clare perſpicitur, ſi:

1)

---

e) *Brandis Verſuch ueber Metaſtaſen.*

1) Numerum organorum ſecernentium.
2) Conditiones ſolidorum et fluidorum, ſub quibus ſecretiones rite perfici poſſunt, conſideramus.

§. XIV.

Si quis innummera vaſa ſecernentia vna cum glandulis, eorundem complicationes multiplices cum aliis organis, canales eorum varia proportione, et gradatim in diametrum abeuntes vix ſenſibus perceptibilem conſiderat, iure meretur, quomodo non ſaepius ac reuera fit, ſecretiones interrumpantur, aut penitus aboleantur, ſimulque perſpiciat, quantum ad elaborandum nobiliorem requiratur humorem, quamque ſero iacturam eiusdem reſarciri oporteat.

Certum eſt, haec vaſa, quamdiu principii vitalis viget actio, ſingula in gratiam totius organiſmi, officio ſuo praeeſſe, humoresque capacitati cuiuslibet eorum accommodatos, legibus nobis prorſus ignotis, ac vix vnquam cognoſcendis ſecernere. Hinc nec vita propria, cuilibet organo praeſidente, neque ſtimulo proprio, a quo hoc organon ſecernens prae alio afficiatur, minime vero omnium vi attractiua, quae humo-

humores in canales minimos, velut in tubos capillares attollat, ad metum excutiendum obſtructionis horum vaſorum, indigemus.

§. XV.

Humorum ſecernendorum fons ſanguis eſt. Qui niſi fuerit bonae indolis, aut quantitatis iuſtae, humores et ſecreti non ſint laudabiles neceſſe eſt. Sanguis autem laudabilis et cibos eupeptos, et caeterarum potentiarum incitantium applicationem modum non excedentem, nec non vim ventriculi concoctricem, haec autem omnia vis vitalis energiam moderatam ſupponunt; hinc patet hanc vnam ad opus ſecretionis moderatae retinendum eſſe cauſſam.

§. XVI.

Ex §. praecedente innoteſcit, vigorem quidem principii vitalis ſolam eſſe cauſſam, cur ſecretiones in genere perficiantur: Sed cum humores aeque ac ſolidorum actio ipſa ſint potentiae incitantes, clarum ſimul eſt, et hos, quia illam ad actum ſecretionum determinant, eſſe neceſſarias conditiones.

Quare

Quare ſi ſolida ſunt nimis laxa, aut nimis ſtricta, ſi humores plus minus qualitate aut quantitate peccant, tunc et vis vitalis, ex cuius iuſto maiori aut minori vi hic ſtatus dependet, ſenſim magis magisque laborabit; hinc ventriculus languidior ad digerendum, ex digeſtione laeſa minus laudabilis ſanguis, et hinc humores ſecreti a conditione ſana plus minus aberrantes, vnde iterum actio ſolidorum languidior in contenta, et vice verſa, vnde et vis vitalis magis magisque alterata. e. ſ. p.

§. XVII.

Ex omnibus his denique eluceſcit, quam multa ad humores rite ſecernendos requirantur, quam exiguum leges mechanicae chemicaeque in illos exerceant imperium, quam male hinc in illis cauſſam perturbationis harum quaerant medici mechanici, denique quam longum ſit opus, humores quacunque via, ſponte, vel arte deperditos in integrum reſtaurare.

§. XVIII.

Nunc iam effectus noxii in genere in c. h. ex euacuationibus humorum oriundi

facili

facili intelligentur negotio. Iuuabit illos hic recensere. Euacuationes ergo:

1) *Energiam vis vitalis potenter infringunt.* Nam cum humores sint potentiae efficacissime incitantes, quia in corpore ipso generantur, et nullo non vitae tempore singulis organis continentur, euacuationem notabilem eorum et debilitas notabilis vis vitalis sequatur necesse est. Hic effectus primarius semper obtinetur, vtvt prima euacuatio eum non semper tam manifeste prodat, aut euacuatio morbum sustulerit. Quodsi autem hae euacuationes in consuetudinem abeant, varia, vario aut gradu aut duratione in conspectum prodeunt symptomata, quarum praecipua sunt:

2) *Se- et excretiones imminuunt, alterant euacuationes*, id quod partim ex dictis sequitur, partim inde eruitur, quod parte subtracta materiei maxime incitantis et actionem vasorum secernentium imminui necesse est.

3) *Laxitatem continentibus inducunt*, tum ob vim vitae inde debilitatam, tum quia et caussa mechanica (vis extendens)

dens) et potentiae ſolitae quantitas debita deſideratur.

4) *Ad profluuia ſpontanea disponunt;* hoc ſequitur ex laxitate vaſorum retinendis per ea fluentibus imparium.

5) *Retentiones multiplices excernendorum generant.* Hic effectus praecedenti No. 4. adducto contradicere videtur, ſed nequaquam: notum enim eſt, eandem cauſſam diuerſiſſima ſaepe ſymptomata producere poſſe, quare cautela ſumme neceſſaria in praxi eſt, ne ex ſymptomatibus cauſſam morbi eruere velimus, et ſic etiam facilis ex laxitate vaſorum vtriusque phaenomeni eſt explicatio. In priori enim caſu et oſcula vaſorum ſupponuntur dilatata. Ad formandam vero retentionis ſibi rite ideam, requiritur, vt quis oſtia canalium vtut laxorum ſpasmo conſtricta ſibi cogitet. Hanc ideam vero non precario aſſumptam eſſe docent quamplurimae affectiones hyſtericae, omnium vero optime colica quidquam vehementior hyſtericarum, in qua ſubinde conſtrictio inteſtinorum arcta in glomerem, inaequalitas abdominis, retractio vmbilici, conſtrictio ani tanta, vt

vix clyſter applicari poſſit, manifeſte ſeſe ſenſibus offerunt.

6) *Vitiis organicis localibus occaſionem praebent.* Et hoc ex laxitate vaſorum facile eruitur, nam ſi canalium relaxatorum imminuta eſt reactio adeo, vt humoribus per caua eorum fluentibus obicem ponere nequeant debitam, hi ex oſtiis extremis in caua corporis confluentes, et ibidem collecti vel hydropes varii generis producunt, vel tenuioribus diſſipatis etc. condenſantur, ac variis excreſcentiis anſam praebere valent.

7) *Concretionibus et obſtructionibus variis fauent*, quia debilitata per immodicas euacuationes vaſa humores ſolummodo tenues per euacuationes ſingulas effundunt, craſſis ob continentium inertiam retentis. Hoc exemplo hominum debilium ſedentario vitae generi aſſuetorum confirmatur, in quibus obſtructio ea ratione increſcit, qua euacuationes multiplicantur.

8) *Digeſtionis actionem imminuunt.*

9) *Ha*

9) *Habitum cachecticum conciliant*, quia ob imminutam in toto corpore humorum copiam inquilinorum et vaſa cutanea penuriam hanc experiuntur.

10) *Facultates mentis deprimunt.*

11) *Dolores in - et externorum organorum producunt.*

12) *Ad typhos grauiores*, tandem

13) *Ad paralyſes, potiſſimum inteſtinorum, tabes et multos alios morbos chronicos disponunt.*

Quis nunc demum medicorum his rite perpenſis effectibus nocivis territus cautior eſſe nollet in ſuadendis euacuationibus?

Caput

Caput IV.

De conditionibus, ſub quibus euacuationes neceſſario adhibendae ſunt.

§. XIX.

Sequentibus ſub conditionibus euacuantium vſus neceſſarius eſt, nimirum:

1) In omni morbo ſthenico, maxime vero, dum cum iſto nobile quodpiam, et ad vitam ſummopere neceſſarium viſcus ſimul grauiter affectum eſt. In hoc caſu venaeſectionis ac purgantium vſus adeo vrget, vt ſine horum adminiculo morbus tolli prorſus nequeat. Sed neque venaeſectio ſola, neque purgantia ſola morbum auferre queunt, niſi reliquae ſimul potentiae debilitantes, vt: moderatum frigus, cibi mere vegetabiles, aquoſi, aqua pro potu, reſtrictio lucis nimis viuidae in cubili, quies animi etc. in auxilium vocentur.

2) In

2) In morbo a faburra primarum viarum aut ex ingeftis copia nimia, aut qualitate peccantibus oriundo.

3) Nonnunquam quidem in affectionibus topicis morbum vniuerfalem, fiue is fit indolis fthenicae aut afthenicae, vel praecedentibus vel infequentibus, euacuationes requiruntur. Sed in morbis localibus cum afthenia vniuerfali coniunctis, euacuationes tum folum locum obtinebunt, fi:

a) Afthenia non fit admodum grauis; in hoc enim cafu aegrotantes a moderata euacuatione non admodum laeduntur, fi modo euacuantia vel cum incitantibus in eodem medicamento coniunguntur, vel illis folis porrectis virium reftauratio per incitantia illico fubfequentia fola tentatur.

b) Si medicamenta etc. morbo vniuerfali accommodata per fe, materiae, vifcera oneranti, hinc morbum localem, adeoque et vniuerfalem augenti remouendae fint imparia. Saepiffime enim vel ipfa incitantia per

fe

ſe materiae morboſae expellendae ſufficiunt; id quod manifeſte videmus in colica aſthenica, hydrope abdominis nondum inueterato, et obſtructionibus hominum vitam ſedentariam agentium.

c) Si certo certius praeuidendum eſt, ex euacuatione malum primarium non inſanabile et citiſſime lethale futurum. Hinc in hydrothorace iam ad exitum lethalem vergente paracentheſin, — in vomica pulmonum, aegrotante iam in ſummo vitae discrimine verſante emeticum proponere inconſultum foret.

§. XX.

Haec fere ſunt, quae de noxis euacuationum immodicarum ac praepoſterarum dicenda habui. Magnum laboris mei praemium tuliſſe exiſtimarim, ſi et lector beneuolus hanc diſſertationem ea

venia

venia accipiat, qua ſpecimen induſtriae primum, hinc minus abſolutum excipi poteſt, meisque conatibus, licet exiguis, faueat.